



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

S. Chillenus Episcopus Altrebatensium Apostolus. cap. L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

sa, adhuc inter Britannos, hoc est, Vuallos, perdurabat, tametsi non nisi priuatim, ut supra diximus, & ob metum tyrannorum, occulte colebatur. Ita Augustinus de religione bene meritus, utpote qui omnia pericula, ac incommoda præ salute hominum, leuia ducebat Archiepiscopus Cantuariensis creatur, quo habitu primo rami loco, ut cæterorum Princeps adpictus conspicitur, Angliæ arma notiora, messis suæ trophea, iubatos videlicet Leones tres aureos, in militari patma rubra depictos, præ se ferens. Si quis uero huius Pontificis, sociorumque res egregiè gestas, qualiterque sit hæc Anglorum conuersio facta, cupit ediscere, Bedam consulat, & ex eius primi libri historię Anglorum lectione abunde sibi satisfactum cognoscer. Agunt & de his, tum uita S. Gregorii Papæ, tum alii tam ueteres quam recentiores in martyrologio nostro ad eorum natalitios dies notati, qui tamen omnes ex ipso Beda accepisse noscuntur. Scripsit epistolam unam ad Gregorium Papam, quæ inter eius epistolas Decretales reperitur, cum responsionibus eiusdem.

S. CHILLENVS EPISCOPVS.

Attrebatensium Apostolus.

qui

Iudicauit populum Dei in iustitia. Psal. 71.

Cap. L.

S. CHILLENVS, Scotus, Regio Scotorum Regum sanguine clarus, tum ob insignis sanctimonie professionem, tum ob eximiam in sacris litteris eruditionem, suo tempore in magno pretio est habitus. Quando enim illi cælestis Patrisfamilias nuncii, qui Sancti Benedicti regulam profitebantur, primum in Angliam aduenissent, mox ipse S. Columbanum in Galliam secutus, renuntiata omni huius mundi pompa, susceptoque huiusmodi uiuendi instituto in monasterio Luxouie, sub S. Eustasio Abbate, Euangelicæ perfectionis ardentissimus obseruator, & prædicator euasit. A sancto namque Pharonne Meldensium episcopo & monacho, cum Episcopali potestate ad prouinciam Attrebatensem (cuius arma Episcopi habitu, præ se fert, quæ sunt palma cælestina, Liliis aureis resperfa, cum trifurcato labro rubeo) missus,

sus, eam suo exemplo, & doctrina sana Christo acquisiuit, & tandem
 miraculorum gloria clarus obdormiuit in Domino anno Domini
 circiter 640. *Tritemius de vir. ill. Ord. S. Ben. lib. 3. c. 75. Petrus in cata-*
logo lib. 9. c. 117. qui una cum Demochare in Catalogo Episcoporum
Meldensium correctione indiget, dicit enim Chille: non fratrem S. Pha-
ronis fuisse, quod nequaquam uerum est, ut ex uita S. Pharonis, & Vin-
centio in speculo lib. 23. c. 15. & alijs liquet, à quibus Pharo Gallus,
Chillenus uero Scotus fuisse scribitur; sanguine coniunctus Eugenio III.
Scotia Regi, ut narratur in uita S. Fiacrij monachi; eiusdem Eugenij filij.

S. VVILLIBRORDVS EPISCOPVS:
Regni Frisig Apostolus.

nam

Orietur in diebus eius iustitia. Psal. 71. Cap. Ll.



X eadem Benedictina messe prodijt ille, qui te-
 tius in Episcoporum ordine conspicitur, Pontif-
 cis habitu stemma Regum antiquorum Frisig re-
 te se tenentis. Est autem illud; zona transuerse
 quatuor Cyaneæ, in argenteo umbone, cordibus
 undecim sanguineis (errant qui aurea esse putat,
 ut Pingonius, & alii, in armis namque nec metallum metallo, nec
 color colori supponitur) resperfo. Namque ad illius gentis con-
 uersionem ab Egberto Archiepiscopo ex Anglia, unde oriundus
 erat, cum duodecim uiris religiosis monachis, aliquando anno Do-
 mini 690. missus, multos in breui sua prædicatione ab Idololatria
 ad fidem conuertit, suoque exemplo plurimos inclitos uiros, &
 nobili genere illustres, mundanam transitoriamque felicitatem
 Christiana humilitate commutare perdocuit. Cum quotidie cetero-
 ret fidelium numerus, fratrum communi consensu Romam missus
 à Sergio Papa die S. Cecilie anno 696. ordinatus est Archiepisco-
 pus Frisonum, & ad nominis sui barbariem euitandam, Clemens
 appellatus. Qui in Pontificalem Cathedram sublimatis officium
 pastorale insuperabili euangelizandi constantia usque ad finem uite
 continuauit, sanis consilijs proceres ac plebem regni in sancta reli-
 gione Christianisque motibus, & legibus conseruauit; & tandem
 pius, & prudens Christi confessor, Frisonumque Apostolus in Do-

m ino